

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

*M.A. Level Medieval Latin Examination*

9 September 1998

\*\*\*\*\*

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

1. The Israelites block the mountain passes

Nuntiatumque est Holoferni principi militiae Assyriorum quod filii Israhel praepararent se ad resistendum ac montium itinera conclusissent, et furore nimio exarsit iracundia magna, vocavitque omnes principes Moab et duces Ammon, et dixit eis: 'Dicite mihi, quid sit populus iste qui montana obsidet, aut quae et quales et quantae sint civitates eorum, vel quis rex militiae eorum. Quare prae omnibus qui habitant in oriente isti contempserunt nos, et non exierunt obviam nobis ut susciperent nos cum pace?' Tunc Achior, dux omnium filiorum Ammon, respondens ait, 'Si digneris audire, domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto qui in montanis habitat, et non egredietur verbum falsum ex ore meo. Populus iste ex progenie Chaldeorum est. Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum qui erant in terra Chaldeorum.'

2. A young boy's vision (Visio Alberici)

In Campanie igitur provincia quoddam castellum est, quod ab accolis Septem Fratres nuncupatur eo, quod ibi ecclesia sanctorum Septem Fratrum vocabulo consecrata sit. In eo loco nobiles cuiusdam militis filius fuit nomine Albericus; qui puer decimo anno nativitatibus sue inchoante languore correptus, graviter infirmatus est, quo tempore novem diebus totidemque noctibus immobilis et acsi mortuus sine sensu iacuit. In quo spatio admirabilem vidit visionem, quam postea in se reversus ita retulit: "Quedam" inquit, "avis candida, columbe similis, adveniens rostrumque suum in os meum iniciens, nescio quid exinde abstrahi sentiebam, ac deinde per comam capitis suo me ore apprehendens, ferre cepit, sublimem videlicet a terra, quantum unius statura est hominis. Tunc etiam beatus Petrus apostolus ac duo angeli apparuerunt michi; quorum alter Hemmanuel, alter vocabatur Heloy, qui me simul ducentes, loca penarum et inferni ostendere ceperunt. Primum itaque locum quendam igneis prunis incendiosisque vaporibus estuantem vidi, in quo parvulorum unius anni anime purgabantur".

3. Life after the Fall (Alcuin, Sack of Lindisfarne)

Postquam primus homo paradisi liquerat hortos

Et miseras terras exul adibat inops,

Exilioque gravi poenas cum prole luebat,

Perfidiae quoniam furta maligna gerit,

Per varios casus mortalis vita cucurrit,

Diversosque dies omnis habebat homo.

Fatali cursu miscentur tristia laetis,

Nulli firma fuit regula laetitiae.

Nemo dies cunctos felices semper habebat,

Nemo sibi semper gaudia certa tenet.

Nil manet aeternum celso sub cardine caeli,

Omnia vertuntur temporibus variis.

Una dies ridet, casus cras altera planget,

Nil fixum faciet tessera laeta tibi.

Prospera conturbat sors tristibus impia semper,

Alternis vicibus ut redit unda maris.

#### 4. The author and purpose of Peter Riga's Aurora

Auctor iste de Remensi ciuitate extitit oriundus, de mediocri parentela originem ducens, Petrus nomine, Riga cognomine. Fuit autem morum honestate preeditus, clarus ingenio, doctus eloquio, liberalium artium feliciter eruditus; fuit autem sapientie tante ut de eo uere posset dici:

Curritur ad uocem iocundam et carmen amice

Historie, letam cum fecit uersibus urbem.

Qui, cum diu Parisius studuisset, philosophica documenta legisset, Ciceronis flores aureos elegisset, labyrinthum logicum introisset, theologie misteria penetratione ingenii penetrasset, tandem ad regularem habitum se transtulit; et, temporales delicias a mente remouens, uitam contemplatiuam amplexatus est, canens cum ecclesia: "Leua eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me". Ibi autem opus composuit, correxit, et edidit, causa commotus duplici, priuata uidelicet et communi: priuata, ut fratres suos minus peritos in sacris scripturis instrueret, ita quod ex eius doctrina morum augmentum proueniret et salus insuper animarum; communis, ut lectores huius operis uerborum delectaret floribus.